

2

18

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA,
DE
METHODO
PARESIN EX COLICA
RATIONI CONVENIENTER
CVRANDI

QVAM
NVMINE DIVINO DVCE ET AVSPICE
CONSENSV AC AVCTORATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE,
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
ET EXPERIENTISSIMO,

D. PHIL. ADOLPHO BOEHMERO,
MEDICINÆ, ANATOMIÆ ET CHIRVRGIÆ PROFESSORE
PVBLICO ORDINARIO,
ACADEMIARVM CÆSAREAR. NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
VT ET REG. BEROL. SCIENT. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CONSEQUENDIS

D. XX. JAN. A. S. R. MDCCCLXII.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR
GOTTLIEB SIEGMUND BÆRENSPRVNG,
ANCLAMO - POMERANVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ
EX OFFICINA VESTERIANA.





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

METHODO PARESIN EX COLICA
RATIONI CONVENIENTER
CURANDI.

§. 1.

Mhi, thema quoddam inaugurale meditanti, illud argumenti dissertationi excudendae eligere visum est, quod ostendit viam paresi, ex colica prævia nata, rationi congruenter methodi: ideo quod de eo parum sensi proditum exstare; & quod ex eo haud minorem utilitatem in mortalium salutem censeo redundaturam, quam ex cuiuslibet alius morbi per traſtatione: omnium vero præcipue, quod *Illiſtris* atque *Excellentissimus Praes*, *Preceptor ac Patronus* omni obſervantia etatē mihi devenrandus, idem hoc argumentum modo paucis ante hebdomadiis *Georgianos*, peculiari disputatione, prosecutus est. Quo nomine opera pretium mihi visus sum esse facturus, si *Georgi* hujus mali, ejusdem *Georgianos* hoc loco subtexerem, docendo, quibus praefidiis & armis ejus vis infringi, &, quoad ejus fieri poterit, omnino a corpore depelli ac proſigari poſlit; in primis quum *Illiſtris Praes* suafor mihi atque auctor hujus argumenti exſisterit, cuius prudens conſilium repudiare mihi ſummum daxi nefas futurum. Sed ne Leſtorem præfando detineam, ad ipsam mihi propositam rem explicandam ingrediar.

A 2. §. 2.

§. 2. Est vero *mægretis* ex colica, illa *παραλύσεως* species, quæ vehementibus colicis cruciatibus, iisque æquo ac solito diuturnioribus, superveniens, artus corporis duntaxat tum superiores, tum inferiores, repente invadit, ita, ut, motu eorum voluntario pereunte, sentiendi qualisunque & quantulacunque facultas partibus temeratis etiam inum superfit. Jam vero quum experimentorum fide & testimonio abunde sit deprehensum, & movendi, & sentiendi vim per sculos nervos ad corporis partes motorias ac sensibiles perferri: nihil sane quoque dubium est, quin in iis, ut omnis paralyseos, ita etiam paræseos, fomes occultatus hæreat. Insidet quidem etiam nunc in animis plororumque, vel doctissimum Medicorum, arterias quoque sanguiferas plurimum, atque adeo æque multum, ac nervos, conferre ad musculos in motum agitandos: quia arteriis filo vinclis & constrictis, musculi illi, in quos se suis ramis diffundunt, summi liter ac ligatis nervis, omni sua movendi potentia privari scribuntur. Verum enim vero *Illiustris de Haller* contra putat, verbis ostendens testatissimis, musculis suam movendi vim omnino constare & permanere, arteriis quantumvis, in eos se inferentibus, arctissime constrictis aliove modo destrutis; neque eosdem a suo motu prius cessare, quam sideratione sive *νεκρότεις* corruptos, id quod demum longo post tempore accideret (a).

§. 3. Quia quidem ratione haud obscure apparebit, cur in nostro malo definiendo, nulla quoque mentio arteriarum, sed duntaxat nervorum, sit facta, quippe quorum in hoc morbo potissimum sunt & præcipue partes. Quo autem pacto tubuli isti, qui inter se dense collecti, inque fasciculum compacti, nervum constitunnt, in pareti ex colica ita affici possint, ut nervorum liquido nullus per eos pateat ad movendi organa aditus, de eo non convenit inter Medentes. Pudet ac tædet, neque vacat nec attinet cunctas istas ac dissidentes inter se opiniones, quibus Doctorum animi imbuti sunt, hoc loco in medium adducere. Quamvis enim omnes in eo consentiant, in hoc morbi fluido nerveo viam & transitum in artuum musculos intercludi:

summa

(a) Primis physiologiae lineis §. CCCCX. p. 254.

summa tamen inter eos diffensio est, de caussa hujus morbi materiali, & de modo, quo nervorum canaliculi coarctantur aut intersepiuntur. Veteres enim crassam pituitam, nervis tenaciter impactam, hujus mali caussam putarunt: recentiores vero varios & multiformes sales comminisci non eruuerunt, qui in ipsis tubulis nerveos delati & adacti, subsistendo laticis nervi influxum & distributionem interpellare fertuntur. Quia vero via iudicem commemoratis nervorum canaliculis sese inferant? de eo ambigitur & utramque in partem disputatur.

§. 4. Plerisque persuasum est, exteriore corporis artus non posse illa paralyssi unquam tentari, nisi nervorum radicibus, quibus vel e cerebro enascuntur, vel e medulla spinali emergunt, ibidem praeter modum compressissimis obstructive ita, ut nervorum liquido nulla per eorum tubulos ad corporis partes pateat via. Tametsi vero ipse suscipio, perfectae paralyseos fontem & caput multoties in ipso έγκεφαλω & spinali medulla haerere posse: illa tamen in paresi etiam ex colica, imperfecta que est paralyssis, in nunc dielis partibus pariter consistere, hoc mihi persuaderi non facile committam; experientia loquente, non semper totum brachium, neque totum pedem hoc morbo implicari, sed duntaxat solam subinde manum extremam, vel quoque lacertum seu cubitum, eo affici, reliquo brachio seu humero intemerato manente. Quod idem quoque pedibus, si paresi affiguntur, subinde evenire observatur, ubi tantum extremus pes aliquando resolutus deprehenditur, crure ac femore salvis atque in offensis relictis, argumento satis manifesto, mali sedem haud quam in cerebro aut spinæ medulla haerere fixam; sed in illis sollempmodo nervis, qui florente valetudinis prosperitate, hisce partibus nunc leuis & male affectis; de motu & sensu prospiciunt. In fidem hujus rei licet mihi unius Thomæ Erasti verba adducere, ita tradentis: *satis autem constabat, mali (nimimum paralyeos) causam non in nervorum, quibus distribuuntur, principio, sed in manibus ipsis existisse. Quoniam partes supra carpum optime omnes habebant, quod esse non potuisset, si nervorum principia affecta fuissent (b).*

(b) Disput. IV. contr. Paracels.

A 3

§. 5.



§. 5. Rei igitur medicæ scriptores, satis perspicientes, in hac artuum paralysi, nervorum, qui frequenti ramorum fibole in brachia pedesque effunduntur, origines ex medullis oblonga & spinali, salvas, integras omnique compressione vel obstructione plane iumentes esse; neque eo secius corporis artus sua movendi potentia prorsus orbatos esse atque eversos: ex hoc labyrintho inextricabili sese alio modo expedire nesciebant, nisi ut, nervis consulto reliulis, artuum musculos & tendines hujus afflictionis reos agent, statuentes, materiam quandam per *perthesem* ab intestinis, beneficio sanguinis in orbem mo:us, ad diuorum artuum musculos & tendines traduci ibidemque deponi, ubi ea tam luduosam ageret tragœdiam. At vero in hoc placito nihil argumenti esse, facile intelliget, illud altius inspecturus exquisitioque examine perpenitus. Mihimet abunde est paucis duntaxat hec innuisse, quantum negotii hujus morbi enodatio nunquam non medicorum filiis facessiverit; cuius tamen expedita est & facilis explicatio, dummodo quis nervorum fabricam curatius perspectam habuerit & cognitam. Ex ea quippe constat, corum involucrum non vasis sanguiferis modo abundare, quem inde surculis frequentissimis intra nervorum tubulos propagantur & diffemantur; sed eosdem, praeter haec, compluribus quoque alias sanguinis rivulis irrigari, ut qui itidem per interiores quosque nervorum recessus diffusi, commemoratis canaliculis de nutrimento propiciant. Quia igitur via sanguis ab intestinis, colica diuturna & dirissima excretiatis, ad pedum & brachiorum nervos copiosior ferri, & nunc commemorata corum vaseula inundare queat? quum id jam planius pleniusque in laudata *Illiſtris* atque *Excellentissimi Praefidis* dissertatione, expositum legi possit, hoc loco repetere supersedeo, ne hic molem rerum anteaclarum aggerere velle videar.

§. 6. Et quanquam haec affectio artibus corporis a tormentis semper colicis, iisque acerbissimis, provenire animadvertisit: nihil tamen est, quod diversis istis colicis passionibus hec & latius & enodatius explicandis immoratur; quum *Illiſtris Praefes* jam in citata diatribe nos hoc labore relevaverit, ver-

DE METHODO PARESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CURANDI. 7

verbis significans ibidem planissimis, non quamlibet colicam paresi indidem nascenda faces subjicere, sed eam omnium potissime, quæ, quod atrocissimis cruciatibus stipata est, colica convulsiva nominari consuevit. Van Swieten quoque Auctor est, paresin vix ulli alii colicæ frequentius, quam quæ Pistonum dicitur, succedere (c). Vocatur vero hoc colicæ ideo sic, quod in Pistonia, Galliæ provincia, prorsus endemia esse legitur, & Britones eo nomine infelices esse prodit Hollerius (d). An colica hæc Pistonum idcirco commemoratis Galliæ populis præcipue familiaris sit; quia tellus ibi vinum valde crassum proferat, quod incolis haustum, ejusmodi ingentia atque immanissima alvi tormina infligere creditur & scribitur? illud licet in suspenso relinquam. Certe Illustris van Swieten, cui copia fuit hujus gravissimi morbi tuismet oculis usurpandi creberrima, omni affirmat asseveratione, eum sibi observatum esse ejusmodi in primis hominibus omnium frequentissime usu evenire, qui in plumbo fundendo, aliisque indidem arte factis & productis eliciendis operam posuissent suam; nihilque dubii sibi esse, quin hæc Pistonum colicæ a plumbi vaporibus ejusque variis calcibus suam ducat originem, quantumvis nec quidem abnuat, eandem quoque hanc intestinorum calamitatem haud insolenter ab aliis insuper causis exoriri posse (e). Isti colici cruciatus, quos ore capiti atque hausti halitus plumbei seu saturnini proferunt, colicæ saturninae nomen a medicorum filiis obtinuerunt. Qua quidem ratione videoas, vix quicquam vel certe parum discriminis colicæ saturninae cum Pistonum intercedere: utraque enim tantam in intestinorum tunicas, quarum αιθητικὴ δύναμις maxima est, expromere solent crudelitatem, iis quam acerbissime & diutissime convellendis & dilacerandis, ut doloribus eorum deliniendis vix ullum remedium & auxilium reperiiri queat.

§. 7. Qua vero via dolorum stimuli, ex intestinis avulsi & amoti, in corporis artus, modo superiores, modo inferiores, transferri, ibidemque

ita

(c) Commentar. in Boerhaevi Aphorism. Tom. III. in not. ad §. 1060.

(d) Libr. I. de mort. intern. Cap. 41. in Schol.

(e) Libr. & loco adduct.



ita sigi possint, ut inde eis *auxyntas* oriatur? & quam ob causam dolores in intestinis defeviant seu furere definant, paresi dictis artibus se inferente ibique suam sibi sedem figente? ea hoc loco multis a me expediri ac declarari nihil attinet, nec proposita brevitas fert, maxime quum haec omnia in dissertatione aliquoties jam allegata, tam aperte, tamque plane explicata legantur, an eis quicquam ad clariorem illorum intellectum addi, sit necesse, ut omnino ambigam. Quocirca ne a proposito aberrem, missa hujus mali *θεωρία*, utpote ad nos non pertinente, ad ejus *θεραπευτικήν μέθοδον*, quam mihi hac dissertatione de industria tradendam proposui, nunc ingrediar expendendam. Ante vero quam parescos sanæ rationi convenienter curandæ viam ostendo, non minus conveniet, quam expediet, dicendis quædam, ad hujus morbi præcognitionem sive *πρόγνωσιν* spectantia, præstruere, quo *θεραπευτής* indidem clarius prævideat, quem sibi sua de medicatione successum atque eventum, prosperum an improserum? promittere atque expectare valeat.

§. 8. Quum paresis nostra sit imperfecta paralysis, ideoque levioris conditionis, quam vera & perfecta attuum resolutio, facile liquebit, illam hac haud insolenter curatu esse faciliorem. In perfecta quippe utplurimum & motus, & sensus, intereunt: in imperfecta vero, cujusmodi est paresis ex colica, motus plerumque solus perimitur, salvo interdum atque incolumi, aut tantum hebetato imminutoque partibus relicto sensu. Hinc medicus, ad ejusmodi *παρέσει* affectum arcensitus, minime statim omnem sanandi spem abjectat, ritu medicorum Austriaeorum, qui ab Jacob. Horstio narrantur, hujus morbi pertinacia, quondam usque adeo a proposito ejus curandi suisse deterriti, ut nec eum attingere quidem auderent (f): existant etenim complura hoc morbo conflicitorum, & ab eo liberatorum, in observatorum monumentis, exempla, quæ hæc testata faciunt. Plurimi enim sponte olim, *Ægineta* teste, sanati sunt, & etiam nunc percurantur. Non alienum hoc loco erit hucus asserti testem Thom. Erastum in medium proferre, qui eodem loci, ubi

(f) Schenckius observat. Libr. I. ex quo Schelhammerus eadem expromisit. ^{hæc} fert. de paresi sive paralyse. ex colica Cap. III. Sect. III.

DE METHODO PARESIN EX CÖLICA RATIONI CONVENIENTER CURANDI.

hæc ex Aegineta refert, sequentia subnequit: animadvertisendum est, quod mul-
tos absque pharmacorum usū sanator esse scribit: quod nunc etiam accidit. Sa-
ne plurimi, adeoque major pars ægrotantium vel sponte sanantur, vel thera-
rum usū restituantur, rariores medicamenta a nobis postulant (g).

§. 9. Quo juniores sunt ægroti, corporis robore & viribus valentio-
res, atque humoribus integroribus incorruptioribusque præditi; eo major
affulget spes hujus morbi, convenientibus ei præsidii, depellendi: quanto au-
tem annosiores sunt & seniores, corporis viribus fraliores magisque debili-
tati atque adeo exhausti, insuperque degeneri & depravato sanguine instru-
ti: tanto minus spei superest huic malo medendi. Quo tolerabiliores quo-
que minusque diurnæ sunt intestinorum hac in calamitate torsiones; hoc
etiam mitior paresis ægroti esse videtur eventura, eaque propter medicinis
adhibitis, facilius cessura: quanto autem sæviores existunt, atrociores ac
diurniores isti cruciatus, quibus intestina torquentur; tanto etiam pertina-
cior erit hic morbus magisque inexpugnabilis. Omnium vero difficillimus
curatu est hic affieclus, si in veram mutatur paralyxin, ubi non muscularum
motus solum perit, sed omnis sentiendi etiam vis in nihilum evanescit; id
quod viris, doctrina & scientia artis nostræ principibus, sèpius compertum esse,
in eorum monumentis reperio. Sed fatis de eis, quæ ad παρέστως πρόγνω-
σιν pertinent. Ne igitur de coepo vie cursu deflectam, sed ad ea transcam
exsequenda, quæ egomet mihi proposui, opportunum nunc erit ipsum hujus
morbi curandi viam ingredi.

§. 10. Tametsi vero supra quidem ex Erausto adduxi, morbum hunc,
sibi modo relictum, persepe sua sponte cessasse & abiisse, ægro nihil detri-
menti inde persentiscente bellissimeque habente; non tamen semper consultum
est, exemplo corum, qui sponte naturæ hoc morbo explicati sunt, huic ma-
lo indulgere & naturæ solius auxilia in eo expectare. Licet enim non nun-
quam nihil periculi ab hoc malo ægrotantis vita sit; tamen persepe satis

(g) Disputat, citat.



dio in corpore consistit & crudelitatem suam in ejus partes exerceat, obserua-
tis medicis id abunde testantibus. Non enim per complures subinde hebdo-
madas, immo menses, sed per multos identidem annos ille perseverasse in-
que artibus constitisse animadversus est; præsertim si homines, ætate jam
proiectiores & pene confectos, quibusque corporis robur jam undecunque
valde attritum est & attenuatum, aut qui sanguinem degenerem & sordibus
salino sulphureis scacentem in suis alunt vasis, tentaverit. Quid? quod ex-
perientiae fide & testimonio compertum est, ejusmodi ægros, hoc malo cor-
reptos, interdum per totum vitæ spatum eo esse conficiatos, nec ullis reme-
diis, quantumvis saluberrimis atque efficacissimis, hoc morbi explicari po-
tuiss. Quo nomine factu optimum est, in hac calamitate haud quaquam
connivere, sed primo quoque tempore & quantocius fieri potest, periclitan-
ti ægrorum saluti efficacibus remedii subvenire. Hinc quoque jam Ovidius
præclare cecinit:

Principiis obsta: sero medicina paratur,
Cum mala per longas cónvaluere moras (b).

S. II. Jam igitur mihi sentio dari tempus de hujus mali depulsione
exponendi, atque dilucide expediendi, quo illud pacto & quibus præsidii, si
modo ei in tempore occurratur, profligari subinde & deferi queat. Quem-
admodum vero maximum in quocunque morbo curando momentum in eo
potissime est possum, ut proxima ejus effectrix causa, tanquam fons &
scaturigo cunctorum in ægrotantibus obviorum malorum, quoad ejus fieri
potest, opportune e corporis latebris emota expellatur: ita quoque Medentis,
in nostro malo abigendo & a corpore amoliendo, nihil sit prius, nihilque po-
tius, quam ut ejus radices, quoad ejus fieri licet, quam primum subsecetas
e corpore evellat; siveque mali causam de corpore auferat. Hac quippe sub-
lata, cuncta quoque indidem enata mala & symptomata ulro cessatura esse
quisque haud ægre perspiciet, qui modo non ignoraverit, hæc morbi sym-
ptomata duntaxat proximæ cause morbificæ effectus esse. Ex quo simili
etiam

(b) de Remed. amor. Lib. I. verf. 91.

DE METHODO PARESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CURANDI. IX

etiam satis perspicuum unicuique esse futurum censeo, quam parum ille, in paresi imis stirpibus eruenda, sit profuturus & consecuturus, qui, vera ejus causa non intellexa, ex erronea hypothesi huic morbo curationem adhibere sustinet. Id quod jam antiquitus Cornelio Gallo haud incognitum fuisse videtur, scitissime scribenti;

Non intellecti nulla est curatio morbi.

§. 12. Paresi proinde ex colica medicari aggressurus hos medendi scopos sibi habeat praefixos, primum ut causam, nervorum tubulos comprehendendo coarctantem, sive impedientem, quo minus subtilissimo eorum fluendo via & transitus per eos pateat ad movendi instrumenta, de medio removat atque omnino auferat, ut qua depulsa exactaque, commemorati tubuli, sanguinis comprimentis onere nunc liberati, sensim sensimque rursus permeabiles evadunt ac fluido nerveo pervii: deinde ut partes infirmas, enervatas deque vitali suo robore deturbatas, rursum reficiat, roboret ac justo suo tono induat firmetque, quo liquidorum vitalium inundationi nervosius reniti valent: postremo ut ὑπερτροφὴ ή παλινδρομία hujus mali, praescripta salubri vendi ratione, prævertat: quia experientiae testimoniis in propatulo est, hunc morbum per intervalla quidem remittere; sed levissima quaque occasione, nisi ægrotantes sibi ab nocivis temperent, recrudescere. Primæ indicationi euratoriæ ut satisiat, hoc malum depulso omnium maxime ipsius colicae ratio primum est habenda, num etiam præsto sit, an vero jam sœvire desierit? et si enim crebra observatione animadversum est, paresin se artibus tum denique inferre, colicis doloribus devervescentibus & jam remissis; (quo etiam nomine Auctoribus persuasum est, semina, quæ colicam gignunt, per μετάστασην ex intestinis in extremos artus transferri ibidemque jaætari): non tamen desunt exempla, ubi colica tormenta adhuc in intestinis, quantumvis multo mitiora, aliquamdiu persistunt, artibus licet paresi jam occupatis. Quod si igitur, in artuum resolutione, colica etiamnum intestinis insidet, quantumvis longe lenior & remissior, huic omnium primum medicina est adhiben-



da, quæ tamen semper ejus ingenio atque indoli rite & prudenter accomo-
danda & attemperanda venit. Est quippe in confessio, colicas dari multi-
juges; velut flatulentas, pituitofas, biliosas, quin etiam sanguineas & fa-
turninas, quæ posteriores, quod in primis ingenti spasmorum & cruciatuum
acerbitate ac violentia comitatae cernuntur, haud immerito colicæ convulsivæ
appellari solent.

§. 13. Et quum communī omnium, qui de parei aliquid monumen-
tis mandarunt, consensu, hoc malum quam sèpissime suos ex colica con-
vulsiva vel, si malueris, spasmatica, eujusmodi potissimum sanguinea est &
saturnina, ducat natales; nihil Medico antiquius esse debet, quam ut primum
ab ægro in auxilium fuerit invocatus, statim eujusmodi dolorum atrocitati ef-
ficacia remedia proponat, sanguine ægrotis larga copia, si necessitas id sua-
serit, detrahendo & clysteribus, quibus, in omni colicarum genere, nihil ex-
cellentius, nihil efficacius, nihil est præsentius, velut emollientibus, re-
laxantibus, moderate carminantibus, & si usus fuerit, mere oleosis, quam se-
pissime injiciendis, subjunctis insuper medicamentis antispasmodicis, diapnoi-
cis, pinguibus & blande ac leniter roborantibus, quorum omnium non in
sanguinea solum, sed in saturnina quoque maximus est usus. Neque pare-
gorica, extrinsecus abdomini calide admovenda, velut linimenta, unguenta,
fomenta, captaplasmata, balnea, emplastra, aliaque id genus, susque deque
habenda sunt, quorum itidem magna sèpenuero est efficacitas in tam vehe-
mentissimis cruciatibus leniendis & demulcendis. Cunctis hisce adjungenda
sunt potulenta avenacea, hordeacea, aliaque ex cornu cervi minutum rasò, oryza,
floribus chamaemeli, papaveris rhoeados, millefolii, cetera, parata, quæ
tepidè largiter hausta, egregiæ virtutis in variis colicis esse cognoscuntur.
Ipsa quoque ex radice rhabarbar, confessæ, & pilulæ balsamicae Stahlii, si ge-
nuinæ sunt, in eujusmodi colicis efficiunt, quod operæ est pretium, modo
nihil incensionis in intestinorum compluvio sit obvium. Verum enim vero
quum mihi deliberatum sit & constitutum hoc loco duntaxat methodum par-
eos

feos ex colica sanandæ; nequaquam vero colici doloris amovendi & tollendi trādere: extra hos cancellos egrederer, quos egomet mili ipse circumdedi. Ne igitur in aliam disputationem ex obliquo velut abeam, colicæ curatione prætermissa, utpote ad nos nihil attinente, ad solam πάρεσιν medicandam revertor.

§. 14. Si itaque colica, vel sua sponte discidente, vel arte sublata, exterioribus artibus solummodo ejusmodi ἀκυνθία, superstite sensu qualicunque, relinquitur, Medico, primam medendi indicationem feliciter exsecuturo, animus attendendus est ad ægrotantis corporis constitutionem. Quod si enim æger temperatura est insigniter sanguinea, ætate juvenili, aut etiam firma atque integra, vel certe nondum adeo proiecta, quin etiamnum satis virium habet & sanguinis copia affluit; ineunte quoque adolescentia frequentes sanguinis e naribus profusiones expertus est, aut postea, quum ætate acreverit, statim temporibus sanguinis exsuperantia per sedis venas exsolutus fuit, qui vero jam per easdem exundare vel omnino cessaverit, vel certe, qua de causa cunque, præpeditus fuerit: nihil sane dubii est, quin ipsa hujus malii curatio larga sanguinis missione sit statim ineunda; licet plurimi Medentium nostro asserto obstrepant, persuasi, venæ sectionem in hoc malo extirpando plus damni, quam adjumenti, ægro afferre. At vero in illa saepius jam a nobis celebrata de hoc morbo dissertatione, perspicue & abunde demonstratum est, eum nasci a sanguine, ab intellinis contractis in alium cursum contorto reflexoque, & ita in artus, vel superiores, vel inferiores, con-gesto, ubi arteriarum ramusculos, qui tubulis nerveis internati harent, inundat. Quo sit, ut hi canaliculi, a distentis vasorum sanguineorum surculis compressi & nimium coangustati, afluxenti nervo liquido obicem ponant & introitum præcludant. Quum igitur cardo omnis curationis in eo vertatur, ut sanguinis moleculæ, vasorum sanguineorum recessibus impæctæ ibidemque fixæ, suis compedibus rursus expediantur, sive exsolute in motum profluum redigantur: quo igitur fieri pacto posse existimas, ut diuti globuli ex suis laqueis expediantur, inque cundi ac redeundi libertatem vin-

dicentur, nisi in hujusmodi ægrotis, si sanguine abundant, ejus copia venæ sectione fuerit immunita, sive copioior ejusdem ad inundata vascula affluxus impetusque hac ratione impeditus? Nec ullius negotii esset dilucidius ostendere, quanta sit venæ sectionis & utilitas, & necessitas ad sanguinem, si meatuum angustiis interclusus hæret, rursus expediendum inque orbiculum motum reducendum, omnium maxime in ejusmodi ægris, quorum vasa sanguine uberiori, quam pro expedito & faciliter ejus in orbem motu, cumulata sunt, si usus esset mihi vacaret esse longo. Si vero nulla adfuerit vitalium liquidorum ubertas, quæ ejus imminutionem urget, ipse suscipio, sanguinis missionem ægro, quantumvis non obsuerit, certe tamen parum esse profuturam.

§. 15. Sanguine ergo, sive vena' secta detracto, sive, quod ejus missio parum prosectora esse visa fuerit, nihil omnino missò, Θεραπευτ̄ alvi ductiones maximæ debent esse curæ, ut quæ semper soluta sit & laxa, quo humorū in artus male assēdos copiosior illapsus impetusque indidem assidue revocetur ad intestinorum sentinam. Simil atque enim hujusmodi ægrotis tarda fuerit atque pigra alvi dejectio, illico vitales latices feruntur copiosiores ad læsos artus: quocirca Medici est alvum in hoc mali constanter aperitam servare laxamque. Id quod vero nentiquam medicamentis acribus, vehementer stimulantibus & δραστικοί peragendum, sed blande duntaxat alvum subducentibus, lenientibus & ita dictis laxantibus, cuiusmodi sunt rhabarbarum, manna, tamarindi, passulæ majores & minores, pruna, folia fennæ aliaque hujus generis, quæ nunc forma pulveris, pilularum, insisi decoctive propinari possunt. Et si ulli medicinæ in alvo tum clementer ducenta, tum egregie roboranda, suum justum statuendum est pretium: certe sunt pilulae Becherianæ, inque primis Stahlianæ, quippe quæ multis aliis medicamentis hac virtute antecellunt. Quod si enim ullo in morbo purgantia circumspetto judicio offerenda sunt: certe ea in hac paralysi, ex colicis cruecibus enata, cautissime maximeque cogitate ejusmodi ægris danda sunt; quia intesti-

intestinorum tunicae nuperis doloribus colicis adhuc languide viribusque debilitate ac fractae, usque adeo ab qualiumcunque acrum contactu nunc abhorrent, ut, vel mediocriter duntaxat lacesitae, in eundem expeditissime recidant morbum colicum, superiore colica multo persæpe acerbiorum & gravorem. Quia propter nemini suadeam, ut hasce partes, quarum acutissimus est sensus, validioribus nunc atque efficacioribus exagitet purgantibus, ne sedatus velutique soporatus dolor in iisdem recrudescat; sed lenioribus duntaxat & tutioribus nunquam non alvum exinaniat. Cui scopo consequendo clysteribus, ex carminativis, demulcentibus & emollientibus, concinnatis, non sane ulla præstantiora, tutiora & præsentiora inserviunt remedia, qui, prout usus fuerit, de die & nocte, cerebro intestinorum sentinæ infundi queunt.

§. 16. Ad primam porro indicationem perficiendam necesse quoque est, ut ejusmodi ægris proponantur medicamina, quæ sanguinis incursionem in partes affectas atque impetum avertendo ab iis, in corporis habitum deflent exteriorem, quo sanguineo latice, in nervorum vasis sanguiferis obhaerenti & strangnanti, plus loci & spaci detur sese suis compedibus facilius ex-solvendi inque orbem dentio eundi. Cujus indolis cuncta ea esse cernuntur, quæ cutis perspirationem in majus augent & ad sudorem usque provelunt, utpote quæ ore capta inque sanguinis massam delata, eam multis modis, hec explicari haud necessariis, exagitant, & ab corporis interioribus ad ejus exteriora motu citationi derivant. Ex quo itaque statim appetit, haud quaquam qualiacunque sudorem expellentia, hic promiscue in usum vocari posse; sed, quam alia alii mitiora sint, & sine ulla fere sanguinis commotione suam vim in eum exprimant; (quæ etiam eo nomine diapnoica & diaphoretica fixa nuncupari solent,) ea duntaxat in nostro malo feligenda esse & adhibenda, quæ moderatissime & placidissime, absque calfaclu, non tam sudorem, quam potius madorem, elicunt. Et quam quoque ita dista antispasmodica, quæ eute laxanda agnnt, sudorem cieant; idcirco vel hæc diaphoreticorum numero sunt

haben-

habenda. Quanto autem usui nervorum morbis blanda sint diaphoretica, ex C. Celso perspicuum est, de sudore tradente; nervorum quoque vitia quadam eo optime curari (*). Medicamenta igitur potiora ista, quae serum excrementium per cutis spiracula, vaporis in modum, e corpore, idque sine ullo sanguinis astu, eliminare valent, eaque propter multum utilitatis ad hunc morbum tollendum conferunt, sunt ex regno vegetabili radices farfæparill. bardan. caryophyllat. vincetoxic. helen. gentian. rubr. pimpinell. alb. scorzonet. herb. card. bened. capill. vener. beccabung. centaur. minor. scord. chamedt. cherefol. naſfurt. aquat. salv. scabios. verben. flor. fambuc. calendul. galeg. salviae, tiliæ, bellid. arvens. cort. aurant. citri, ligna trium fantalorum, falſafr. E mineralium vero classe hic pertinent, antimon. diaphor. ceruſſa ejus, materia perlata, bezoardic. mineral. sulphur. antimon. aurat. tertiae präcipitat. mater perlarum, conch. ppt. ostrearum testæ, lapid. canceror. ceter. Ex penu animalium hic convenienti lumbrici terrestr. Quibus ex medicamentis compositis, quæ in pharmacopoliis prostant, addenda effentiæ alexipharm. temperat. Stahl. scord. vincetoxic. pimpinell. alb. spirit. bezoard. Bussli. nitri dulc. cetera.

§. 17. Quum autem sic nominata antispasmodica, si spasm corporis summa occupata tenent, itidem vim diaphoresin promovendi exserunt, cute adstricta relaxanda atque ita poris recludendis, ut sero exhalando aditus in eos exitusque patet: hinc nec ea sunt pretermittenda; sed eorum quoque usus θεραπευτὴ frequentandus. Ex quibus ea tantummodo in medium proferam, quæ, præter cetera, aliquid präcipuum habent, ideoque etiam in primis digna, quæ de meliore nota commendentur. In hunc igitur censum omnium primum nitrum, qua depuratum, qua regeneratum & antimonia- tum, venit deferendum, quippe quod non temperandi solum & blande refri- gerandi; sed spasticas quoque partium fibrofarum stricturas relaxandi & au- ferendi virtute efficacissime pollet. Cui corticem chaccarillæ velim adjun- dum, qui, præter vim roborandi, egregiam quoque sedandi facultatem obti- nuit,

(*) de Medicin. Libr. II. Cap. II.



DE METHODO PARESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CVRANDI. 17

nuit, quam ob rem securè in osum trahi potest. Neque cinnabaris, tum sa-
ffiriae, tum nativæ & antimonii nūs tam est suspectus, quam aliquibus vi-
detur, dummodo cum grano salis nec justo largius exhibetur: eam quippe
pariter potentia quadam anodyna & sedante dotatam esse, communis plero-
rumque Medentium est sententia. Spectant huc quoque castoreum ejusque
essentia, que prudenter propinata, itidem suo non carent fructu. Præclaræ
quoque medicina est spiritus Vitrioli dulcis, sive liquor sic dictus Lullianus,
a B. Hoffmanno anodynus mineralis vocatus, qui pariter, præter diapnoicam
vim, anodynæ etiam virtute instrutus est. Quæ cunctæ cum medicamentis
(§. 16.) celebratis conjuncta, varia & multifomi specie præscribi atque ægro-
tis dari possunt: modo in ejusmodi medicinis offerendis accuratos nec nimis
largos esse oportet, quæ vel parva mole haustæ, effectus satis efficaces alli-
quando expromere observantur, cujusmodi sunt castoreum, cinnabar, flor.
papaver, cetera.

§. 18. Ut porro Medicus primæ sanandi indicationi convenienter
agit, eum docenti, ut sanguineos latices, vasis minimis seu capillaribus,
quibus nervorum, tum exteriora, tum interiora, abundant, impactos hæ-
rentes ibidemque interceptos, suis vineulis liberet, inque motum redigat pro-
fluentem, non satis erit providisse & præcavisse, ne sanguis copiosior ad par-
tem, pareti correptam, accedat & affluat; sed necessarium quoque est, ut
ille a sua inclusione in circulandi libertatem vindicetur. Id quod omnium
optime consequetur, si, præter hæc hædenus celebrata, istiusmodi auxilia
huic artuum resolutioni tulerit, quæ primum stagnantes latices sua efficac-
itate resolvunt atque e sua sede emovent; deinde quoque, quæ eosdem satis di-
luentes fluidosque reddunt, ut ita ad justam tenuitatem redacti, in orbem rur-
sus volvi queant. Ad hunc sinem obtinendum in primis faciunt sales illi me-
dij seu enixi, ex acidi & alcali connubio enati, cujusmodi sunt tartarus vi-
triolatus, arcan, duplie, s. l. polychrest. Glaseri, sal mirabile Glauberi, tar-
tarus tartaratus sive solubilis, arcanum tartari, cui etiam terræ foliate

C

tarta-



tartari nomen hæret, nitrum antimoniat. utpote quod ex alcali quodam, cui adhuc multæ particulæ, nihil omnino a tartaro vitriolato abludentes, intermixta hærent, constat: quæ cunctæ, quum fixioris indolis sunt, sanguinem non exagitando & commovendo, egregie resolvunt, ideoque cum supra commemoratis absorbentibus terreis, diaphoreticis fixis & antispasmodicis concinnata, in pulveres, aut, additis aquis diapnoicis, in multiformia medicata pocula redigi queunt, prout id Medenti fuerit collibitum. Eadem quoque sorte variae tinturæ alcalinæ censendæ sunt, ut quæ propinatae, virtute sua saponacea enarratis salibus similiter fore agunt, spissis & tenacibus vitalibus liquidis resolvendis & colliquandis. Quarum in numero potissimum referendæ sunt variae tinturæ, velut antimonii vel acris simplex, vel regulina, vel tartarifata, metallorum, tartari, liquor terræ soliat. tartari, quæ in primis more beati Junckeri, cum tintura antimonii tartarifata commixta, in paralyticis curandis sepius efficit, quod opera est pretium, essentia castorei, liquor cornu cervi, succinat, cetera. Pertinent hue quoque essentia pimpinell. alb. quæ egregiam habet virtutem sanguinis crassi attenuandi, ideoque etiam diureeos & diaphoreos movendæ. Ex quibus proinde etiam tinturis variae, vel inter se conjunctæ, vel cum supra commemoratis diaphoreticis, velut cum essentia vincetoxici, scordii, vel alexipharmacis Stahlii, cetera, consociatae, pro ipsis Medicantis arbitratu, paralyticis hujusmodi porrigi queunt.

§. 19. Ne vero Medico, quod suscepit, medendi negotium, in irritum recidat, nihil quicquam magis ei cure cordique sit, quam ut hac partu effectis potulenta satis atque adeo assatim sorbenda præcipiat. Quæ vero neutiquam spissa, largiter nutritientia, multoque minus sint inebriantia; sed potius admodum tenuia, diluta ac bene defecata; quibus tamen, si mei arbitrii esset & consilii, simplicem præferre mallem aquam, cui hordeum vel avena decorticata cum rasura cornu cervi, ut & cum radicibus quibusdam, velut cichorei, taraxaci, scorzonerae, cetera, incocta forent, addito in fine coctio-

DE METHODO PARESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CURANDI. 19

coctionis uno altero e citri malo, in orbiculos dissecto, utpote cuius longe efficacior est potentia crassi sanguinis diluendi, quam cuiusvis cerevisiae, quantumvis maxime dessecatae; dummodo ægri hujusmodi decocta bibere non tam morose plerumque recularent. Quod si enim quicquam deprehenditur, quod efficaciter spissa sanguinea liquida liquat, diluit & attenuat: certe est ipsa aqua, ejusmodi radicibus, quæ faponaceum quempiam succum in se fovent reconditum, decocta atque imbuta, quæ singulis diebus, non quidem magnis & continuis, sed mediocribus duntaxat & alternatis haustibus, tepide & sufficienter bibita, sèpius plus, quam optima quaque medicamina, in sanguinis lentitia ad tenuitatem subigenda & stagnationibus ejus expediendis, efficit. Hinc quoque est, cur fontes medicati seu acidulæ, si tempore & ante in usum vocantur, quam malum hoc radices jam egerit altissimas atque inexstirpabiles, hujusmodi ægris haud raro prosperam valetudinem amissam recuperent, saluberrimis quibusque medicamentis jam diu antea incassum seu frustra eisdem adhibitis. Quibus vero acidulis, si neceſſe fuerit, ejusmodi ægro sit utendum, Selteranis, an Sedlicensibus, an Egranis, an Pyrmontensibus, an vero aliis? illud cuiuslibet Medentis judicio relinquendum est; ut cui semper pro ipsius ægrotantis ætate, temperie, corporis constitutione, virium atque ipsius morbi conditione, talium acidularum delectus sit habendus.

§. 20. Postquam hue usque traditum est, quibus praediis internis artuum resolutio Medenti sit oppugnanda, &, quoad possibile erit, expugnanda: instituti ratio exigit, ut quoque dispiciamus, quibus auxiliis exter- nis hujus mali depulsio sit tentanda & perficienda. Namque Illustris van Swieten verbis luculentis prodit; se aliquoties brachiorum resolutionem, Piclonum colica succedaneam, felici eventu curasse, frictiones, emplastra, aromaticæ, cetera, soli abdomini applicando; quoniam ex anatomica nervorum historia se fateatur non intelligere, quomodo nervi, per abdominalia viscera differti, & moleſſimo ac diuturno dolore excruciant, paralysin brachii inducant cum atro- phia muscularum. Sufficiſſe sibi, pergit, novisse, in nervis abdominalibus morbum



habuisse originem; & in aliis morbis jam didicisse, nervos multos mirum habere imperium in alias partes corporis, quod ex cognita hactenus corporis fabrica liquido explicari nequit (i). Quod proinde ad ea attinet remedia, quæ lassis artibus extrinsecus admota, maximo usui esse & præsidio spectantur, huc merito primæ veniunt referendæ affectarum partium frictiones siccæ & modestæ, pannis initio lineis seu mantilibus illis, quæ manibus tergendi utilitate inserviunt, sensim sensimque vero paulo asperioribus, tenera lana contextis, iisdemque semper moderate calefactis, institute, quarum summa est utilitas ad sanguinem, tum in nervorum, tum muscularum vasis, stagnantem & obhærentem expediendum inque motum progressivum agitandum; præsertim si ejusmodi panni, fumo accensi succini, mastiches, olibani, vel alius suffumigii roborantis, infecti, sèpius de die, morbidis partibus fuerint admoti atque infricati, quippe quorum suffumentorum vapores, per cutis pores ad artuum interiora penetrantes, hisce labefactis robur amissum rursus restituunt. Hinc quoque est, cur jam inde ab antiquissimis quibusque temporibus ejusmodi frictiones partium corporis, in plerisque morbis, a nimia earum laxitate, potissimum pendentibus, semper maximi aestimatæ fuerint, & etiamnum nostra memoria plurimi fiant (k). Quemadmodum vero illæ suos in solidas, harumque beneficio, in fluidas, expromant effectus, id patet latius, quam ut, angustis hisce plagulis illud comprehendendi, a nobis postulari posit.

§. 21. Hisce subtexere placet fomenta calida, tum siccæ, tum vapo-
rosa, ex radicibus herbis & floribus resolventibus, attenuantibus, roboran-
tibus ac nervinis coecinata, quibus afflicti artus foris contingendi & bene fo-
vendi sunt. In censu autem discutientium & nervinorum, ex quibus ejus-
modi fatus comparari queunt, potissime sunt radices cyperi rotund. bryon.
angelic. calam aromat. caryophylat. iresos Florent. herbae puleg. serpill. ab-
sinth. hyssop. origan. rutæ. salviae. rorismar. chærcfol. majoran. menth. crisp.
meliß.

(i) Libr. citat. not. ad §. 1070.

(k) Corn. Celsus libr. adduct. cap. XIV.

DE METHODO PAKESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CVRANDI. 21

abrotan. beton. chamæpit. flor. anthos, lavendul. spicæ, melilot. stoechad. arabic. & eirin. sambuc. chamæmel. salv. rofar. lilior. convall. baccæ juniperi. lauri, semina coriandri, carvi, foenicul. anisi, cetera, quæ fæculis carbæsis inclusa, & supra foculum ardente moderate calefacta, artibus parefiantatis extrinsecns frequenter imponi queunt. Quod si vero fomenta vaporoſa, quibus nihil quicquam discriminis cum balneis vaporofis intercedit, magis cuipiam arriferint, ejusmodi species in vino primæ notæ tantum parumper & lenissime coqui possunt; quo factò, expectandum usque eo, dum calida hujus decocti exhalatio justa & affectis membris commoda fuerit: tum denique finendum est, ut calidus hic ascendens halitus dictis artibus se sensim pedetentimque circumfundat. Fruetus, quem artus morbidi ex ejusmodi fotibus capiunt, potissimum est, ut cutis spiracula recludantur; humoris in eisdem congesti cumulatiq; ac proinde spissiores redditi, dissipentur, attenuenter, atque in expeditiorem agantur circuitum; stagnationes vero corundem, in nervorum tubulis sanguiferis expediantur, suisque vinculis, quoad ejus fieri potest, exsolvantur; ipsæ autem solidæ viribus suis frælia debilitateque partes corroborentur, & gradatim, si easdem, in dies, idque crebro, ejusmodi epithematibus calidis sovere perrexeris, pristino suo tono tandem rursus instruantur. Quæ vero sit causa, eur heic fomenta madida plane omissem, quæ tamen ab aliquibus Auctòribus vehementer hoc in malo commendari video, ea præcipue hæc est, quod aquosa, præsertim calida, si usurpentur, artibus de suo nativo robore nunc dejectis & enervatis, majorem inferant debilitatem & laxitatem, ita ut morbus hic in majus augescat inque deterius beat. Quo circa hæc tacitus præterire malui, quam multis laudibus efferre.

§. 22. Præter hæc topica remedia, quæ male affectis extremitatibus corporis fricando & fovendo identidem subveniunt & opitulantur, si circumspœte & justo tempore fuerint eis applicata, multa quoque alia celebrantur auxilia externa, velut varia unguenta, linimenta, spirituosa, emplastra ac denique balnea & thermæ. Quod ad unguenta & linimenta illa, quæ, quod



ex nervinis vulgo dictis & aromaticis composita sunt, nervina communiter nuncupantur, ægrotis partibus calide illata suppetias ferre feruntur; non equidem abnuero, ea quidem in affectibus paralyticis, a causa frigida, ut veteres loqui amant, hoc est, a sero viscidio, procreatis, sua laude haud esse defraudanda: at in nostra paralysi, cuius calida plerunque est causa, eadem mihi non probari, fateor & pœ me sero. Unguinalia quippe ea & pingua, quæ oleis istis aromaticis semper fere nupta sunt, in hujusmodi unguentis & linimentis, cutis spiracula obstruunt eaque veluti glutino oblinunt & obtundunt, quo efficitur, ut sero perspirabili, eo allabenti, exitus omnino præcludatur. Cohibita vero transpiratione, non aliter fieri potest, quam ut sanguis, novo velut impetu, ad locum adfectum copiosior atque incitator ruat, atque ita huic malo faces novi incendii subjiciat. Deinde nec ipsa olea aromatica, quæ hæc magistralia medicamina ingrediuntur, omni noxa sunt absolvenda, utpote quæ cutim stimulando & laceffendo, itidem artibus majorem vitalium liquidorum inundationem contrahunt. Id quod quum longe aliter se habeat in ejusmodi paralyseos perfectæ speciebus, quarum sors & caput est seri colluvies: speciatissimum unicuique confido futurum, cur ejusmodi unguinalia, oleosa aliaque pingua, quibus paralytica membra alioqui perficari solent, in nostro morbo utique repudiem.

§. 23. Maxima etiam Medendi cautio est adhibenda & diligentia in emplastris & spiritibus nostræ paralysi proponendis. Quod si enim emplastra ista nimium glutinosa, viscida vel resinosa sunt, ita, ut cuti admota tenaciter adhaerescant, poris ejus occludendis velutique glutino oblinendis, liquido apparebit, esse futurum, ut seri perspirationem per eos omnino prohibeant, atque ita unguentis & linimentis pinguis & oleosis similiter agant. Quo autem facto, nihil omnino dubii est, quin sanguinei latices, propter sudoris meatus obstruatos, ab artuum superficie ad eorum interiora sint redundatur, coque pacto eadem mala, quæ ab unguentis ac linimentis huic morbo subinde creari posse supra perhibuit, iisdem illaturi. Sin vero ejusmodi empla-

stica

DE METHODO PARESIN EX COLICA RATIONI CONVENIENTER CURANDI. 23

stica nihil omnino glutinosa sint & tenacia, seque ad cutim non agglutinent; insuperque eximia discutiendi ac roborandi virtute praedita, nihil sane obstat, quo minus eis ad stagnationes humorum expediendas vtamur; dummodo, si artibus morbidis imposita fuerint, haud nimis diu eisdem inhærente ea permittamus, ne perspiratio, si pars affecta hujusmodi emplastro diutius, quam par æquumque est, sovetur, plane prohibeatur. Quod vero ad spirituosa attinet, quorum magnus celebratur esse usus ad paralytica membra re-ficienda; nullus vero fateri, nec eis me multum fidei habere: quod itidem afflictis partibus applicata, cutis poros constringunt, atque ita sero, per eos exhalando, pessulum obdunt; quod hac ratione inde exire prohibitum, reliquo sanguincis laticibus impedimento est, quo minus in artuum exteriora penetrare valeant. Hinc ut ad ipsam mali sedem consertiores ferantur nescie est. Deinde quoque in comperto est, spirituorum esse vitales succos, si hisce admisceantur, cogere & reddere spissiores. Consentaneum proinde est, fore, ut ea, si sanguinis intulerint atque immiscuerint, hinc in crassitudinem redigant. Videas itaque, cur nec spiritosis, quantumvis extrinsecus duntaxat parti male affectae adhibitis patrocinari queam, ut quæ etiam poros oblitum oppilentque, sicuti de unguinosis, pinguis & emplasticis constat. Medenti ergo, hujusmodi topicis in nostra paralyseos specie usuro, diligenter previdendum est, ne auxiliis loco, quod ægrotanti ferre cupit, oleum camino, ut ajunt, addat plusque damni talibus remedii afferat; neque prius ea in usum vocet, si opus fuerit, quam, morbi causa proxima, quæ sanguinis est in nervorum vasis sanguiferis coacervatio atque interclusio, e sua fede emota & omnino ablata.

§. 24. Perspecto itaque & cognito, qua via quibusque mediis sanguinei rivi cursus ab affectis partibus in corporis superficiem, inque interiorum vasorum deducendus sit, ne in artibus copiosior congestus, sanguinis stagnationem augcat magisque obsirmet; quo etiam pacto & quibus auxiliis

illud



illud sanguinis, qui vasorum recessibus inclusus est & impactus, si fieri potest, indidem extricandus atque expediendus: non minus quoque conveniet, quam expediet, ut expendamus ulterius, quo pacto altera Medico implenda sit indicatio, ab eo postulans, ut partibus labefactis ac tono suo orbatis, vitale dentio robur comparet ac redintegret. Cui scopo consequendo profundunt medicamenta sic appellata nervina & tonica, velut herbæ salviae, meliss., citrat., menth., erisp., chamedr., puleg., betonic., scord., serpill., card. bened., absinth., centaur., minus., flor., lavendul., salv., lilia., convall., atque ex tonicis herb. pyrol., heder., terrestr., veron., fanicul., millefol., flor., bellid., arvens., hyperic., millefol., rosæ, rubr., cetera: item cortices chinæ, chaccarill., cinamom. Semina cumin., anis., foenic., carvi., aliaque hujus generis, ex quibus, pro re nata & prout *θεραπευτὴ* visum fuerit, vina medicata, vel infusa aquosa parari possunt, qua ejusmodi ægris prescribi queunt, mane paulatim idque moderate calide, sorbillanda. Hisce adjungenda sunt silia volatilia, quæ modica copia cum tinturis alcalinis sunt conjungenda, verbi causa, tintur. antimon. tartarisat., cuius uncia dimidia cum spiritus corn. cerv. drachm. duabus commisceenda: vel, si placet, alia quoque tinturæ, ut vitriol. mart. tartarisat. *Ludovic.* effentia millefol. adianth. alb. cortic. chaccarill. succin. sine alcal. parata, cetera, quæ vel inter se, vel cum aliis consociatae, egregie roborant. Quum praeterea maximæ sit necessitatis, ut ejusmodi convalescentibus alvus servetur soluta, ita ut quotidie eam exinaniant; non abs re erit iisdem aliquoties per hebdomada, pilulas blande aperientes, cuiusmodi Stahlianæ sunt, præbere, quippe quæ, præter vim ventris solvendi insigni etiam roborandi virtute sunt. Poterit ergo Medicus eis, & alvum servare apertam, & viribus fraternam corroborare, ideoque ex una fidelia duos parices dealbare. Valde quoque hujusmodi expediet hominibus singulis diebus, elixirium quođpiam, quod ad b. Hoffmanni prescriptum, ex diversis extractis amaris roborantibus & stomachicis, velut absinth. card. bened. gentian. rubr. centaur. minor. mille-

millefol. chamæmel. rhabarbar. chaccarill. in aqua quadam destillata, ut menth. meliss. cinamom. cetera, solutis, confici potest; cui terra foliat. tartar., vel tartar. solubil. sal mirabil. Glauber. sal tartar. vel aliud ejusmodi aſſociandum eſt, addito aliquo carminativo, de quo bis, terve de die, quinquaginta vel ſexaginta guttae capi poſſunt. Neque defiſtendum eſt Medicantि, intra harum medicinarum uſum, ſingulis diebus, ſupra commendatos pulveres antiſpasmodicos & temperantes ſepiuſ ægro porrigere, ut non reſiduas mode & a morbi vi relietas; ſed ab iſparum quoque eſſentiarum & nervino-rum uſu metuendas fanguinis commotiones, occupet. Tandem quoque balneorum & thermarum brevi meminiſſe ex uſu erit, que ab omnibus Medi- ciſ una mente, multis laudibus, extolluntur, & ad hoc malum eradicandum commendantur. Incomparabilis Berhaavius ipſe balneis vaporofis, & immer- fivis, plurimum tribuit in hoc morbo delendo (1): commentatore ejus van Swieten corundem uſum in paralyticis affiſtationibus minus approbante: quod nihil potentius fibras partium laxat ſuoque robore evertit, quam aqua calida & vapor inde aſſurgens. Cónſultius igitur ducit eis abſtineſe, quam flammæ oleum adjicere. In corum locum potius furro- ganda cenſet balnea calida & ſicca (m), quippe quorum major hiſ in mor- bi oſtentatur fructus. Quemadmodum vero hujusmodi balnea humida & vaporofa, ex aqua dulci, cui plurifariae herbæ & species nervinæ incoſteſ ſunt, parata, ſuam efficaciam in corporis partes expromant, quum jam id ſupra ſuſius explanatum legi poſſit, heic repetere dedita opera mitto. Idem quoque judicium eſto de thermis, ut que balneis calidiſ ſimiliter ſuos in dietaſ partes edunt effectus. Qua quidem ratione liquido apparebit, quanta circumſpectione ac prudentia ejusmodi balnea & thermæ noſtro morbo ſint adhibenda, ne ægrum damno maſtemus iſpumque morbum in pejus mute- mus.

(1) Aphor. de cognoscend. & curand. morb. §. 1069.

(m) Citat. conuentar. moris in allegat. nunc §.

mus. Plura ergo medicamenta roborantia ut jam in medium allatis addam, neque vacat, neque attinet. Restat igitur mihi, ut paucis quoque ostendam, quemadmodum tertia indicatio artifici sit, expedienda, docens viam huic morbo, recurrere parato & facili, mature occurrenti & convenienti viatu & regime antevertendi.

§. 25. Quanti vero interest, ut hic morbus rationali methodo extirpetur & funditus tollatur; tanti quoque resert, ut ejus recursus præcaveatur. Deprehensum enim est, eum sub inde remittere quidem, sed, nisi ægrotantes sibi valde temperent ab omnibus noxiis, facile rerudescere (n). Medico igitur, hanc indicationem præservatoriā rite exsecuturo, id potissimum agendum est, ut ægris, hoc malo defunctis, exactam vivendi rationem præserbat, atque ita cunctas istas causas, ejusmodi coliceæ denuo concitandæ aptas, quoad fieri potest, diligenter præcidat, ne repullulare queant. Id quod omnium optime fit, rectum rerum ita dictarum non naturalium usum eis summopere suadendo atque injungendo: nititur enim omnis secundæ valetudinis conservatio solo recto non naturalium rerum regimine. Caveat ergo sibi æger ab omni frigoris acerbitate, cœlique gravitate ac mutationibus ejus, subito præsertim alternantibus sive brevi excipientibus, quippe quæ plurimum valent ad tristissimos colicos dolores hominibus, vel sanissimis, conflandos. Habeat sibi contra aërem serenum, temperatum, mediocriter siccum & purum, quantum fieri potest, maxime commendatum. Ut vero cœli & tempestatum ratio ejusmodi mortalibus, colicis cruciatibus & enate inde paresi opportunis, semper habenda est: ita quoque eos oportet esse in victu sollicitos, fugiendo cuncta acida, austera, multis aromatibus immodice condita, flatulenta, concocta difficultia, cuiusmodi sunt carnes sale condite aut fumo induratae, pices saliti aut arefacti, in primis aselli fustuarii, universa leguminosa, e regno vegetabili deprompta, heicque deinceps enarrare

(n) Schelhammerus Dissert, citat, Sect. V. Cap. IV.

haud necessaria, ut & lacticinia, caseus, atque universa alia, quæ plurimos flatu gignunt & ventriculo multum negotii facessunt. Potulenta sint bene cocta, defæcata, tenuia & diluta neque nimis recentia, & modice lupulo condita, quorum satis ejusmodi hominibus in dies bibenda. Si vero aquosa eorum ventriculus ferre valet, ea longe erunt salubriora, dummodo iis aliqua roborandi vis, injectis aliquot mali citri orbiculis, fuerit conciliata. Nec male ejusmodi *άλεκτρα* suo ventriculo consulent, si inter prandendum aut cenandum, pauxillum vini generosi, cuiusmodi Rhenanum aut rubrum Gallicum est, bibant.

§. 26. Verum enim vero quum hisce hominibus, ad alvi torsiones proclivibus, nihil magis noxae sit, quam sanguinis abundantia, utpote huic morbo revocando omnium maxime accommoda & opportuna, nihil sane præstantius est ad hunc morbum a corpore arcendum, quam vietus parsimonia, quam sibi habeat commendatissimam, ne nimiam sibi sanguinis copiam, colicorum tormentorum foecundissimam genitricem, suis in vasis cumulet. Corporis quoque frequens motio ejusmodi subjectis mirum in modum convenit, dummodo nihil immoderati habeat, sed placide & quantum corporis vires ferre valent, peragatur, præcipue si ad usque lenem cutis madorem, idque singulis diebus, continuata fuerit. Prævideat quoque æger, ne alvi dejectio sibi tarda sit & pigra, multo minus cohibita; sed semper liquida, ne dicam, fusa. Omnia vero maxime providendum est, ne æger in sui animi conditionibus immutetur, nec ejus motibus concutiat, ut quorum vis maxima est in corporis motibus concitandis & perturbandis. Præstat itaque ut semper sedato tranquilloque sit animo, &, quoad ejus fieri potest, sibi constet, ne immoderatis ejus cupiditatibus sibi hoc malum denuo arcessat. Præterea quoque necessarim est, ut sanguinem, si abundaverit, statim temporibus, circa æquinoctia, imo etiam solstitia, si id usus fuerit, sibi venæ sectione detrahendum curet. Quod si vero ejus exsuperantia mediocris sit,

fatis



satis est eum bis in anno mittere. Sin vero ejusmodi ægrotantibus sanguis per sedis venas quidem fluxerit, sed qua de causa cunque fuerit suppressus; aut si hæmorrhoidum profluvium quidem nondum fuerint unquam experti, eis tamen magna fuerit proclivitas ad sanguinolentam hanc excretionem, Medenti id agendum est, ut hæmorrhoides, si fieri potest, quantocius ad fluentem perducat. Id quod si efficere non poterit, in locum ejus sanguinis missiones justo tempore quotannis sufficiendæ sunt. Plura quidem superflunt, digna, quæ illustriore explicatione lectorum oculis & mentibus subjiciantur, sed instituti ratio non permittit, ut cuncta, quæ mihi etiamnum restant executienda, prosequar. Quamobrem, velis sermonis mei complicatis, portum respiciam & e pelago hoc me recipiam.

T A N T U M.





ULB Halle
002 830 701

3



SB

Rubrik
VDI 8





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

18
D INAVGVRALIS MEDICA,
DE
METHODO
IN EX COLICA
CONVENIENTER
CURANDI

QVAM
VINO DVCE ET AVSPICE
TATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ,
REGIA FRIDERICIANA

RÆS IDE,
XCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO
XPERIENTISSIMO,

DOLPHO BOEHMERO,

MIÆ ET CHIRVRGIAE PROFESSORE
LICO ORDINARIO,
NATVR. CVRIOSOR. ET PETROPOLITANÆ
BEROL. SCIENT. SODALI,


D V D O C T O R I S
CINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
IME CONSEQVENDIS

N. A. S. R. MDCCLXII.

TORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

GMVND BÆRENSPRVNG,
LAMO - POMERANVS.



MAGDEBURGICÆ
INA VESTERIANA.